

quae simpliciter turpes sunt; impossibilium autem unum genus nominatur, earum scilicet quae ex natura rei, seu de facto exsecutioni mandari non possunt. Conditions primi generis, si matrimonio apponantur, ex aperta Pontificis declarione matrimonium nullum et irritum omnino reddunt. Istarum autem conditionum tria tantum exempla in cit. textu recententur; multa tamen alia reperiri possunt conditionum exempla, quae substantiae matrimonii repugnant; generatim enim conditio ejus generis habetur, quae matrimonii bona, videlicet aut prolem, aut fidem, aut Sacramentum impedit vel destruat. Ita conditions de dominio corporum non transferendo, de matrimonii vinculo ob adulterii causam dissolvendo, ejusdem matrimonii substantiae repugnant, illudque irritum reddunt si in pactum deductae sint. Hinc Congregatio S. Officii ad Episcopum Bosnensem, a quo dubium propositum est « an sit validum matrimonium contractum inter Catholicam et Schismaticum haereticum cum intentione foedandi vel solvendi matrimonium? » respondit: « Si ita sint deducta in pactum, seu cum ista conditione sint contracta matrimonia, sunt nulla; sin aliter, sunt valida. » Quanquam enim contrahentes putarent vinculum matrimonii aliquibus causis, ex gr. adulterio interveniente solvendum esse, si id tamen in pactum non deducant illudque inire velint, quemadmodum a Christo institutum est, matrimonium ita contractum validum firmumque manet, « praevaleente nimis generali voluntate de matrimonio juxta Christi institutionem ineundo, eaque privatum illum errorem quodammodo absorbente, » uti loquitur Benedictus XIV de Synod. Dioeces. lib. 13 cap. 22. Porro ex cit. cap. de Condit. apposit. caeterae conditions simpliciter turpes, nec substantiae matrimonii contrariae, uti contraho tecum, si furtum commiseris; itemque conditions ex natura rei seu de facto impossibilis, veluti si dicatur, contraho tecum, si coelum digito tetigeris, contractum non suspendunt nec dirimunt, sed favore matrimonii pro non adjec-

tis habentur. Verum predicta Juris Canonici dispositio, qua matrimonium initum sub conditione simpliciter turpi aut impossibili indefinite validum pronuntiatur, perinde ac si conditio ipsa apposita non fuisset, aliquibus difficilis explicativa est. Fieri enim potest, ut contrahentes non consenserint, nisi sub ea conditione turpi vel impossibili: defectum autem hujusmodi consensus nec Pontifex, nec Ecclesia supplere possunt. Itaque mens illius Capitis ea esse videtur, ut conditions simpliciter turpes aut impossibilis non adjectae serio animo generatim praesumantur: adeoque standum pro valore matrimonii, donec contrarium demonstretur, idque ob eam gravissimam causam, quod semper in dubiis favore matrimonii praesumendum est, ne forte legitimi conjuges separantur. Igitur haec juris praesumptio, quae probationem in contrarium non excludit, veritati cedere debet, si non ludenti, sed verum consensum denegandi gratia ejus generis conditions appositas esse demonstretur.

Postremum conditionum genus, videlicet conditions de futuro contingenti, quae possibles et honestae sint, uti contraho tecum, si pater tuus consenserit, si navis ex India venerit, nomen et vim conditionis proprie retainent, atque valorem desponsationis suspendunt, donec conditio extiterit, vel non extiterit. Oportet autem ut hae conditions in continentि, ut aiunt, sive in ipso contrahendi actu adjiciantur; siquidem adjectae postea matrimonio non illud suspendunt, nec vitiant, sed vitiantur ipsae, nihilque operantur, secus enim indivisible foedus conjugii arbitrio contrahentium committeretur.

Sed quaestio est, an matrimonium sub possibili et honesta conditione coram Parocho et testibus initum, eadem eveniente conditione sine novo consensu et solemnitate statim valeat. Innocentius, Panormitanus, Sanchez, aliique plures existimant ex priori consensu conditionato, modo revocatus non sit, neque aliud obstet, obligationem seu contractum matrimoniale impleta conditione purificari et perfici, ut matri-

monium sine novo consensu perfectum et absolutum evadat. Ea enim est vis et potestas conditionis. At Gonzalez, aliqui arbitrantur, hujusmodi matrimonia pro sponsalibus habenda esse, cum non praesentem consensum, sed potius promissio nem futurarum nuptiarum contineat. Quare consensu novo post conditionis eventum opus est, et conditione pendente vel etiam expleta, et consensu nondum renovato si aliud matrimonium pure et absolute ineatur, hoc posterius omnino valet. Atqui tamen puto primam sententiam probabiliorem. Nonne omnibus matrimonii ex dispositione ipsius Juris conditio inest, si Religionem non ingressus fuerit? Sed per conditionem illam matrimonium induit naturam sponsalium? Profecto emptionis et venditionis contractus praesentem consensum postulat, et tamen ex jure naturali et civili didicimus, quod si conditiones de futuro contingentia apponantur, haec haudquaquam efficiunt, ut contractus in pactum seu in promissionem emendi et vendendi resolvatur. Neque ejus generis matrimonia post conditionem impletam indigent nova solemnitate seu assistentia Parochi ac testium. Eam enim Synodus Tridentina postulat, quando primae nuptiae per verba de praesenti contrahuntur. Huic sententiae suffragantur duo decreta S. Congregationis Concilii, quorum alterum a S. Pio V et alterum a Clemente VIII probatum est, quae refert Fagnanus in cap. 3 de Condit. appos. Caeterum, deficiente conditione apposita, oportet denuo matrimonium coram Parocho et testibus celebrare, si forte contrahentes vellent, non obstante conditionis defectu, priores nuptias confirmare; namque consensus prior nihil prodest amplius, cum ob defectum conditionis omnino defecerit.

## § 168.

## DE MODO, CAUSA ET DEMONSTRATIONE.

Conditionibus affinia sunt modus, causa, et demonstratio.

## § CLXVIII. DE MODO, CAUSA ET DEMONSTRAT. 349

Modus est quaedam adjectio oneris, quo vult contrahens alterum contrahentem adstringere in matrimonio ineundo, ex. gr. contraho tecum, ut divitias vel publicum munus mihi compares. Causa est expressio alicujus rationis ob quam contrahitur, uti contraho tecum quia nobilis es. Denique demonstratio est designatio qualitatis, quam putamus inesse personae cum qua contrahimus, uti contraho tecum quae filia Principis es.

Jam vero demonstratio vel causa sive falsa, sive vera, sive honesta, sive turpis qualiscumque demum sit, non destruit matrimonium nec suspendit, quum utraque substantiam contractus nullo modo attingat; causa quidem se habet, ut occasio quaedam quae ad contrahendum allicit, non tanquam vera causa et conditio a qua consensus unice pendeat; demonstratio etiam nihil aliud est quam opinio de qualitatibus personae cum qua contrahitur. Si tamen in causa vel demonstratione lateat error personae vel conditionis, matrimonium nullum erit, uti si dicatur: Duco te qui liber es, vel Primogenitus Regis. Nam non quidem ob falsam demonstrationem vel causam, sed propter errorem personae vel conditionis nuptiae invalidae sunt, atque adeo matrimonium ex hujusmodi errore contractum adhuc irritum esset, etiamsi demonstratio haec et causa non fuisset adjecta, quemadmodum in explanando erroris et conditionis impedimento compertum erit.

Quod autem ad modum attinet, si hic honestus et possibilis sit matrimonium non dirimit nec suspendit, in hoc enim differt a conditione, quod conditio efficit ut actus ejusque vis in suspenso maneat donec extiterit, modus autem contractum jam perfectum supponit, eumque duntaxat temperat oneris adjectione. Si vero modus sit impossibilis aut turpis, uti contraho tecum, ut montem aureum mihi des, ut furtum facias, matrimonium valet, et modus pro non adjecto habetur. Idque generatim contractuum omnium proprium est, ut sub modo turpi vel impossibili non vitientur, sed modus ipse

pro non adjecto habeatur. Sane non vitiatur contractus, quia modus ei supervenit jam perfecto, vitiatur autem modus quia turpum et impossibilium nulla est obligatio. Ob eamdem rationem multi Doctores censem modum etiam substantiae matrimonii repugnantem, ex. gr. contra hoc tecum, ut corporis quaestum facias, non obstat quin idem matrimonium valeat, sed modum ceu non adjectum habendum esse. Quae sententia arridet, nisi forte modus sub ratione conditionis positus sit: generatim enim si modus, aut causa, aut demonstratio apponatur tanquam conditio vera a qua consensus pendeat, eadem jura valere debent, quae hactenus de conditionibus exposuimus.

## § 169.

## DE MATRIMONIO AD MORGANATICAM.

Inter matrimonia, quae sub modo ineuntur, duo celebriora et frequentiora sunt, scilicet matrimonium ad morganaticam, et Matrimonium conscientiae de quibus dicendum est. Matrimonia ad morganaticam ita describit Benedictus XIV de Syn. Dioeces. lib. 13 cap. 23: « Ea sunt quibus vir nobilis post susceptos ex prima uxore itidem nobili liberos, ea defuncta cum continentiae leges sine uxore observare non possit, coram Parocho et testibus obtenta prius a proclamationibus opportuna dispensatione, alteram ex humiliiori ordine dicit, addita conditione ut tam mulier, quam filii ex eo matrimonio nascituri, nihil sibi juris ex eo acquirere possint praeterquam ad ea quae ad victum sunt necessaria. Hujus conditionis et mulier a participanda mariti dignitate excluditur, et filii ab omnibus titulis, muneribus et paternorum avitorumque bonorum successione extranei censentur. » Hujusmodi conditio sive pactum ad morganaticam, quatenus uxorem spectat, apud Romanos propemodum in usu fuit; apud eos enim fiebant nuptiae triplici modo, per usum, per

emptionem, per confarreationem; eratque in arbitrio viri positum, quoniam ex his mallet uxorem ducere. Itaque si nuptiae per confarreationem celebrarentur, tum uxor erat particeps sacrorum, bonorum, nominis et dignitatis mariti: si per usum et emptionem, non item; de quo confer Ludwig de differ. Jur. Rom. et Germ. in dignit. uxor. dissertat. 2 in not. lit. E. At predicta conditio, quatenus filios arcet a nobilitate, muneribus et successione in bona paterna et avita, plane adversatur juri communi; quandoquidem in L. 7 ff. de bonis damnata, haec leguntur: « Cum ratio naturalis, quasi lex quaedam tacita, liberis parentum haereditatem adjiciat, velut ad debitam successionem eos vocando, propter quod et in jure civili suorum haeredum nomen eis inditum est: ac ne judicio quidem parentis, nisi meritis de causis submoveri ab ea successione possunt. » Itaque illud pactum contra juris communis rationem inductum probatumque est a jure feudali ob duplificem causam, tum ut incontinentiae peccatis aditus intercluderetur, tum ut filiis ex priori matrimonio susceptis, aut agnatis per divisionem bonorum cum filiis secundi inaequalis conjugii praejudicium non afferatur, et ita familiae nobiles in pristino splendore conserventur; idque Reipublicae interesse visum est. Prima hujus pacti mentio fit in textu 2 Feud. 29. At verba illius textus, dum ait: » Nec filii amplius habeant de bonis patris, quam dixerit tempore sponsaliorum v. gr. decem libras, vel quantum voluerit dare quando desponsavit, » aperte videtur in patris arbitrio positum esse, eam quam maluerit quantitatem bonorum assignare. Verum lex ita accipienda est, ut patri non tribuat jus privandi filios alimentis quae jure naturali debentur. « Quaedam, » ait Quintilianus declamat. 345, « etiamsi nulla significatione legis comprehensa sint, natura tamen excipiuntur. » Debemus igitur ex jure naturae feudale jus ita interpretari, ut dicamus collatum patri arbitrium assignandi filiis portionem, quae minor sit legitima a jure positivo praec-

finita, modo tamen tanta sit quae tuenda vitae sufficiat; se-  
cūs enim jus naturae violatur. Praeterea pactum illud irri-  
tum est, si matrimonio contracto et filiis jam natis adjiciatur:   
parentes enim nobilitatem et jura liberis statim ac nati sint  
acquisita amplius auferre non possunt. Idem sentire debe-  
mus, si filii non jam nati, sed tamen concepti sint, Argum.  
L. 2, ff. de Decurion. An vero intuitu saltem mulieris possit  
praedictum pactum utiliter iniri, non satis apud Doctores  
compertum est. Sunt qui putant, post etiam nuptias fieri  
utiliter posse, quia mulier valet juri suo quovis tempore re-  
nuntiare. At haec opinio plerisque non placet eo saltem in  
casu, in quo ex statuto vel consuetudine loci aliquid uxori  
quaeratur statim contracto matrimonio; tum siquidem illud  
pactum donationem quamdam virum inter et uxorem matri-  
monio constante vetitam complecteretur.

## § 470.

## DE MATRIMONIO CONSCIENTIAE.

Matrimonium conscientiae dicimus quod coram Parochio  
aut alio Sacerdote legitime deputato, et duobus testibus con-  
trahitur ea lege, ut evulgari et manifestari non debeat. Initur  
itaque auctoritate Ecclesiastici Superioris qui ex justa causa  
dispensem tum super publicis denuntiationibus, tum super de-  
scriptione ejusdem matrimonii in publico et ordinario matri-  
moniorum libro. Ex quibus satis intelligitur, matrimonium  
conscientiae verum et legitimum esse, nec temere confun-  
dendum cum aliis occultis conjunctionibus, quae non sunt  
verae nuptiae, sed foedi et damnati concubitus. Nemo tamen  
inficiari poterit occultis hujusmodi conscientiae matrimonii  
spiritum Ecclesiae nequaquam favere. Quantum enim a Sa-  
cramenti dignitate et ecclesiasticarum legum praescripto haec  
matrimonia ut plurimum abhorreant, satis superque conjici

potest ex exitiosis illis effectibus quos recenset Benedictus XIV  
in sua Constitut. SATIS VOBIS edit. 17 Novemb. 1741. Qua-  
propter idem Pontifex in cit. Constit., ut tot tantisque malis  
obviam iret, monet in primis Episcopos, ne sine gravi et le-  
gitima causa super publicis matrimonii denuntiationibus dis-  
pensent, neve post remissas publicationes matrimonium oc-  
culte celebrari permittant ex obvia quavis et vulgari causa;  
sed gravem, urgenter, et urgentissimam omnino postulat.  
Tum eos graviter hortatur, ut diligenter inquirant de qual-  
itate, gradu et conditione personarum quae matrimonium oc-  
culte contrahere petunt, an sint sui vel alieni juris, an in  
minoribus Ordinibus constituti pensiones aut beneficia obti-  
neant, ac potissimum a contrahentibus exposcant clara et in-  
dubia et a quavis fraude immunia status liberi documenta.  
Denique jubet, ut secreto matrimonio intersit alterutrius con-  
trahentis Parochus, aut si gravi impellente causa alias Sacer-  
dos loco ejus deputandus sit, is ab Episcopo eligatur qui pro-  
bitate, doctrina, et obeundi muneris peritia commendetur,  
atque ab eodem Parocco, aut Sacerdote deputato contrahen-  
tes commonendi sunt, ut curent procreandam prolem quam-  
primum baptizari, eamque ut legitimam agnoscent, bonis mo-  
ribus informent, ac frui patientur bonis ad eam ex testamento,  
vel ab intestato delatis aut deferendis; utque ejusdem prolis  
nativitatem post baptismum denuntient Episcopo cum nota  
loci, temporis, et Ministri collati Sacramenti, ac sincera in-  
dicatione parentum a quibus orta est; secus sciant matrimo-  
nium occultum in lucem proferendum esse, ne gravis nullo-  
que pacto ferenda jactura legitimis filiis inferatur.

Celebrato matrimonio Parochus aut deputatus Sacerdos  
scriptum celebrati coram se matrimonii documentum Episcopo  
exhibeat de ejusdem matrimonii celebratione cum nominibus  
contrahentium, testium, loci, et temporis. Quocirca in singulis  
Cancellariis Episcopaliis duo peculiares libri caute servandi  
sunt, in quorum altero matrimonia hujusmodi describantur,

in altero nomina filiorum qui ex ipsis matrimonii procreantur, quotiescumque in publico Parochiali libro parentum nomina reticeantur, eosque libros clausos ac sigillis obsignatos nunquam patietur Episcopus aperiri, nisi vel alia id genus matrimonia aut baptismata describenda sint, vel id exigat justitiae administrandae necessitas, vel aliquod documentum exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetat copia; reque absoluta de nulo claudendi sunt, et sigillis aut antea obsignandi. Porro contrahentes ipsi, testes, et Episcopus, ac Parochus, seu alias Sacerdos qui matrimonio interfuit silentii lege obstringuntur, tum quia in secretorum commissione silentium tacite exactum et promissum censetur, tum quia ex lege ecclesiastica, seu ex constit. Constitut. Benedicti XIV obligatio custodiendi silentii indicta est; dum enim in ipsa Constit. excipitur casus quo matrimonium evulgandum sit, satis superque evincitur reliquis casibus custodiendum esse. Vult autem Pontifex matrimonium eo in casu evulgari, quo soboles procreata baptizata fuerit vel reticitis, vel falso expressis parentum nominibus, et ipsi parentes intra dies 30 a nativitate numerandos vel immediate, vel per se ipsos, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per personam fide dignam ab eisdem designatam Episcopum certiorem non fecerint, prolem ipsam quae tali loco et tempore reticitis, aut falso expressis nominibus parentum baptizata est, esse legitimam, licet ex occulti matrimonii foedere susceptam. Verum praefati casus facta a Pontifice mentio non obstat, quominus alii casus adesse possint in quibus matrimonium palam faciendum sit: « neque enim leges, neque Senatus consulta ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur. » Igitur si alteruter ex contrahentibus, vivente altero, matrimonium ineat, aut quam primum initurus sit, matrimonium conscientiae manifestare oportere certum exploratumque est. Itemque si conjuges secum habitent, aut adeo familiariter versentur, ut scandalum in

vulgus ortum sit, atque ab Episcopo moniti non studeant ita caute se gerere, ut quaelibet mali consortii suspicio admatur, videtur ad scandalum avertendum, dum privatae admonitiones non profuerunt, Episcopus posse, imo debere matrimonium ipsum evulgare. Nemo etiam dubitat, quin filii possint matrimonium prodere, quando ex. gr. haereditatis ipsis testamento delatae sub conditione, si legitimi sint, aut alii cùjuscumque juris aut utilitatis certam jacturam facturi essent. An vero matrimonium prodendum sit, quando aliter non filii, sed extraneae personae jactura et damno afficerentur, controversia est. Hujus rei exemplum sit: vir usumfructum bonorum suorum legavit uxori sub conditione, nisi ad secundas nuptias transiverit: Mulier vero clam matrimonium conscientiae invit, ut legatis bonis sine molestia frui posset. Quaeritur itaque, an attestationem initi matrimonii Episcopus tradere debeat haereditibus, qui aliquid de matrimonii ipsius celebratione suspicantur, ut eo pacto adversus mulierem agere valeant quae conditionem testatoris non observavit. Hanc quaestionem agunt Cajetanus in sum. verbo *poena*, Diana in Editione coordinata tom. VI tract. 8 resol. 64, aliique.

At vero obligatio secreti custodiendi in gratiam conjugum inducta est. Durat igitur haec obligatio, quoad conjuges ipsi vivant. Itaque iis mortuis matrimonium evulgandum est, ut constet filios ex legitimis nuptiis procreat, eisque integra esse jura omnia quae legitimis filiis convenient. Huc praecepue respexit Pontifex, dum adeo sollicite jussit, ut duo libri servarentur, in quibus et matrimonia conscientiae, et proles inde suscepta fideliter describerentur.

De hoc argumento admodum docte copioseque agit Franciscus Mazzei in libro de Matrim. Conscient., quem Romae edidit 1771.